

Paul Schaffshausen

Pavlli Schaffshavsii, Hambvrgensis, Commentatio Philologico-Antiqvaria De Hirco Azazel, Eivsque Ritibvs Atqve Mysteriis : Ad Levit. XVI, 5-10. et 20-22.

Lipsiae: Ex Officina Langenhemiana, MDCCXXXVI

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87292064X>

Druck Freier  Zugang






79

La-1092 (19.)

1. Jo. Georgii Heichtii Amundlingus inter de fraie Albrahtyphus abo gütthli.
für Wipfeln, die zu Merffins fürcht gelommen. Wittenb. 1795.
2. Lud. Bernh. Kenner Castigationes in Pentateuchum Merckwürdiges
Jan. Leipz 1787. m
3. Jon. Conr. Schraunius de spiritu S&C et anima mundi ad Gen 1.
2. Halbst. 1798.
4. Jo. Trischmuthus de seductione serpentis antiqui ad Gen III. Leipz Jan 1695.
5. Selenanni Andrea Picini serpentis istius antiquus seductus ad Gen III.
1. Leipz 1686.
6. Jo. Vericus Steinkoferus de pascua serpentis irragata ad Gen III. 14.
19. Feb. 1796.
7. Andr. Jan. Habich hofius de fructibus Euse ad Gen III. 1. Feb. 1799.
8. Nicol. Skallerus de ritibus festi expiationum ad Leviticus XVII. Jan. 1799.
9. Henr. Klaufiquus de פתח פתח ad Gen XII. 6. 7. Leipz. 1797.
10. Jo. Christi Einigt de manu dextra honorare ad Gen XLVII. 14. Leipz.
1797.
11. Friedr. Lebrant Gypius de LXX palmis in Ecin repentis ad Exod
XXVII. et Num LXXII. 19. Leipz. 1794.
12. Paul. Schapphanferius de hirsu Agarol ejusque ritibus a lege esse.
ris ad Leviticus XVI. 5-10. Leipz. 1796.
13. Godfr. Christy Beckius de donis mortuis hanc offerendis ad Leviticus
14. Leipz. 1797.
14. Joh. Gottfr. Lackenakeri commentatio in loca quaedam Gen III.
Lithae. Halbst. 1799.
15. Henr. Epitius de Crethi et Pethi Gen 1692 reungit 1689.
16. Jo. Leonh. Becker bergens de fasciculo vicentium ad 4
Lan XXV. 2. Gen 1799.
17. Ernst. Friedr. Cobers de signa Eoba ad 2 Lan VII. 3. 14. Nibel 1792
18. Christ. Braunhardus de Hierosolymis Judaeorum. ad
2 Reg I. 11. 5. Wittenb. 1680.

19. Agidius Struacius de vita Rechabeani ad 1 Reg XII. Witten 1689.
20. Christi. Kortholtus de Iobi theologia euangelica. Kil. 1687.
21. Christo. Aug. Heumannus de Sphera Africae regina Gotting. 1796.
22. Jo. Cor. Schramm de variis contra Christum Dei filium confiliis ad
ad Ps. 11. Helmst. 1727.
23. Jo. Frischmuthus de Messia Dei filio ad Ps. 11. 7. Jen 1676.
24. Jo. Cor. Schramm de maiestate Christi redemptoris ad Ps. VIII. Helmst.
25. Jo. Christi. Aeberstrichus de dispensatione et confesso. Ps. XVIII et
2 Sam Cap. XXII. Lips. 1796.
26. Jo. Cor. Schramm de Christo in extremis crucis angustiis
XXII. Helmst. 1727.
27. Joh. Frischmuthus de Eli, Eli, Lama, Sabachthani ad Ps. XXI. Jen 1676.
28. Jo. Cor. Schramm de triumpho Christi intoris ad Ps. XXIV. Helmst.
29. Jean de verbis Christi ultimis morientis ad Ps. XXI. Helmst. 1726
30. 31. Jo. Frischmuthus de unica illa Christi pro reatu se traditis
regia ad Ps. XL. Jen 1672.
32. Jo. Bernh. Hahnus introductio in אֵלֹהֵינוּ דֵּי יְהוּדָא Region 1799.
33. Jo. Barth. Bernholdus de latibiti gestum sub N. T. conveniunt
ad Ps. 17. 2. Hel. 1794.
34. Jo. Frischmuthus de primo quod in Messia finaci epigonal character
ad Jer. XI. 1. Jen 1666.
35. Jean de secundo. tertio et quarto character et fer 1666.
36. Jo. Georgius Abichtus de vitore pium aereum. ad Jer. XXIII. 1
6. Lips. 1712.
37. Jo. Frischmuthus de non speranda orae foederis restitutione
ad Jerem. III. 14. Jen 1650.
38. Joh. Phil. Oheimius de mendacis sapientibus ad Jer. VIII.
v. 8. 9. 10. Lips. 1678.
39. Joh. An. Quenstedtus de gemis se et Davidis Jesse Christo ad Jer.
XXIII. 5. 1666. Zeyf. ao. 1774.

40. Jo. Freihornthius de nomine d'ni et gloria ad Jerem XXIII, 6. Jan 1669.
 41. Deus de foedere novo. ad Jerem. XXXI. 31. 32. Jan 1671.
 42. Deus de melecheth coeli ad Jerem XLV. 17. 18. 19. Jan 1669.
 43. Friedr. Ketarius de signatura Jaspiracium ad Zach 17. 3. 4. 5. 6. Eya
 44. Jo. Gottf. Lackmannus de fructibus Nebucadnezaris aureae
 Dan III. Heluff 1730.
 45. Jo. Conr. Schramm de iudicis regi. Christi in his terris in visione Sa.
 uclis ad Dan VII. 10. 14. 19. 10. Heluff 1734.
 46. Jo. Freihornthius de LXX hebdomadibus earumque divisione ad
 Dan IX. 26. Jan 1671.
 47. Deus de Messiae exifione et Hierosolymae desolatione ad
 Dan IX. 26. 27. Jan 1672.
 48. Jo. Conr. Schramm de novissimo prophetarum disc.
 uisiois uaticinis ad Dan XII. v. 2. Heluff 1734.
 49. Jo. Andr. Quaestiones de dominatoris egregi. et Bethecher.
 ad Mich. v. 2. Witten 1670. reus ib 1681.
 50. Jo. Freihornthius de gloria templi secundi. ad Hagg II. 7. 8. 9. 10. 16.
 51. Deus de xxx argenteorum pretio quo Messias a Judaeis ^{app.}
 snatus est ad Zach XI. 12. 13. Jan 1672.
 52. Deus de litho confixo eoque in fronte unigeniti filii plang.
 ad Zach XIII. 10. Jan 1666.
 53. Jo. Adam. Scherperus de aspectu Judaeorum in Messiam
 transfossum ad Zach XII. v. 10. reus Witten 1735.
 54. Jo. Freihornthius de angelo foederis ad Malach III.
 Jan 1660.
 55. Joach. Christo. Dodonius de idololatria gentium ad Lappi.
 2. Hoff 1666.



PAVLLI SCHAFFSHAVSII,
 HAMBVRGENSIS,
 COMMENTATIO
 PHILOLOGICO - ANTIQVARIA
 DE
HIRCO AZAZEL,
EIVSQVE RITIBVS
ATQVE MYSTERIIS,
 AD LEVIT. XVI, 5--10. et 20--22.



LIPSIÆ
 EX OFFICINA LANGENHEMIANA
 MDCCXXXVI.

2
2
2
1
2
3
1
2
2
1
5
8
9

V I R O
PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
DOCTISSIMOQVE
IOANNI DIEDERICO
WINCKLERO,

A. M.

COMMENTATIONEM
HANCCE PHILOLOG. ANTIQV.
SACRAM ESSE CVPIT,
IPSIQVE

MVNVS PROFESSORIS
ELOQVENTIAE ET PHIL. PRACT.
IN ILLVSTRI HAMBVRG.

GYMNASIO

GRATVLATVR

A V C T O R.

VIR
PRAENOBILISSIME, AMPLISSIME
DOCTISSIMEQVE

FAVOR
MAXIMOPERE MIHI COLENDE.



*V*amprimum ad me peruene-
rat fama, quod munus Pro-
fessoris Eloquentiae atque
Philosophiae Practicae in
Gymnasio Patrio, morte
Summi aetatis nostrae Polyhistoris, IOAN.
ALBERTI FABRICII, Praeceptoris

A 2

quon-

*quondam mei nunquam intermoritura pieta-
 te post fata quoque colendi, vacuum, ab Am-
 plissimo Scholarcharum Collegio, TIBI, AM-
 PLISSIME VIR, esset demandatum, ego
 certe maximo perfusus sum gaudio, maxima-
 que laetitia, quam ut publice quoque TIBI te-
 starer, grauissimae mihi fuerunt caussae. Et-
 enim, iam diu optaui, ut commoda sese mihi of-
 ferret occasio, qua publice TIBI declarare
 possem, quanti TE facerem, et quam sancte
 eam, qua iam inde a multis annis me dignatus
 es amicitiam, seruandam mihi proposuerim.
 Quum igitur gratissimam atque suauissimam
 hancce nactus sim occasionem, eam haud sine te-
 stimonio sinceræ atque non fucatae amicitiae TI-
 BI exhibendo praetermittendam esse putau-
 i. Quapropter in certissimum eius signum, atque
 in grati animi, pro tot tantisque fauoris in me
 TVI documentis, tesseram, TIBI, VIR
 PRAE-*

*PRAENOBILISSIME, FAVOR HO-
 NORABILIS, offero munusculum quoddam
 philologicum, ex ea, quam TIBI in deliciis es-
 se noui, disciplina, scilicet, ex antiquitatibus
 Ebraeorum sacris, repetitum. Quod, si ea, qua
 me semper excipere sueueisti fronte, quae hila-
 ris est atque serena, accipies, voti me mei damna-
 tum esse existimabo. Deum vero O. M. piis pre-
 cibus imploro, ut nouos, quos consequutus es, ho-
 nores faustos TIBI esse iubeat atque fortu-
 natos, TEque firma semper donare valetudi-
 ne, omnia, quae moliris, felici prosperare suc-
 cessu atque euentu, et tandem aliquando ad sum-
 mum illud fastigium, in quod Auum TVVM pie
 memoriae, atque Parentem TVVM Summe
 Venerandum, Patronum meum maximo pieta-
 tis cultu aetatem prosequendum, quem per mul-
 tos adhuc annos superstitem esse iubeat supre-
 mum Numen, euexit, TE quoque extollere ve-*

VI

lit. Ceterum felicitati meae haud exiguum accessurum esse cumulum scias, si eum, quo hucusque me dignatus es, fauorem, in posterum quoque mihi seruabis. Ad me quod attinet, certissime TIBI persuasum habeas velim, semper me futurum esse

AMPLISSIMI NOMINIS TVI

Scrib. Lipf. Idibus Decembr.
A.R. S. MDCCXXXVI.

Cultorem obseruantissimum

PAVLLVM Schaffshausen.



Vemadmodum magno illo expiationis *Praefatio.*
die, quem populo Israelitico die deci-
mo mensis Tisri, qui partim Septem-
bri, partim Octobri nostro respondet,
celebrandum iniunxerat Deus O. M.
multas simul obseruandas iusserat caer-
monias: ita praeter quotidiana festiua-
que sacrificia duos quoque sibi offerri hircos praeceperat.
Leuit. XVI, 7. 8. Ex his hircis, iacta super illis sorte, alter
ליהוה, alter לעזאזל, cedebat, hic viuis in desertum dimit-
tendus, ille maclandus atque cremandus erat. Sicuti autem
extra omnem dubitationis aleam positum est, per vocem יהוה
neminem esse intelligendum alium, quam verum atque sum-
mum illum Deum, qui coelum terramque condidit, et cui
essentiale hoc nomen esse constat, vti ipse inquit: אני
יהוה הוא שמי Ief. XLII, 8. ita eo acrius disputant Phi-
lologi atque Sacrarum Litterarum Interpretes, quid per vo-
cabulum עזאזל innuatur, et quodnam subiectum per voca-
bulum hoc indicare voluerit Numen Sapientissimum. Quodsi
vero omnes virorum doctorum de vero huius vocabuli signi-
ficatu opiniones recensere, easque, quae parum cum verita-
te

te conuenire mihi videntur, refellere vellem, nec modum libelli nec finem reperiret haecce dissertatiuncula. Quapropter eas tantummodo in medium afferam opiniones, quae Eruditis sese prae aliis commendauere, meamque demum qualemcunque sententiam adiiciam.

Nonnullis Hircus Azazel diabolus esse videtur.

Inter eas autem, quae parum nobis arrident, de hirco Azazel sententias, ea primum occupet locum opinio, quae Azazelem daemonem significare affirmat, quam non solum ex Iudaeis Doctoribus quam plurimi, sed nonnulli quoque e Christianorum interpretum numero strenue defendunt. E Rabbinorum coetu hanc sententiam amplexus est R. Lippmannus in notissimo atque pestilentissimo libro, quem Niz-zachon vocauit; in quo libro Cap. 46. haec leguntur verba: *נותנין לו שוחר ביום הכפורים שלא לטבול קרבן של ישראל שנ' גורל אחר ליהוה וגורל לעזאזל* (Sammaeli) *munus die expiationis, ne sacrificium Israelis impediatur, quia dictum est: fors una Domino, et fors altera Azazeli.* Quatuor autem Iudaeis daemoniorum antesignanorum fuisse nomina, מחזאל, עזאזל, עזאל, סמאל, docet cel. Frischmuthus Diff. posteriori de hirco Azazel §. I. quo et sequentibus paragraphis testimoniis Iudaeorum adductis probat, quam plurimos veterum Iudaeorum diabolo nomen עזאזל tribuisse: quibus addantur verba Elieferis, in capitulis cap. 46. iniquientis: *tempore latae legis dixit Sammael ad Deum O. M. Domine mundi, in omnes totius vniuersi gentes potestatem mihi dedisti, non vero in Israelitas: cui respondit Deus: en sit tibi in eos quoque potestas ipso expiationis die, si peccatum in iis deprehendas; alioquin nulla tibi in eos erit potestas.* Hac de causa munus ei dare solent illo expiationis die, ne irritam faciat eorum oblationem. Verum enim vero, quemlibet, qui recta iudicii lance rem pensauerit, facile perspicere

spicere arbitror, quam incongrua atque summo Numi-
 ni indigna sit haec sententia. Quid enim quaeso Dei
 O.M. auctoritati summae magis aduersatur, quam quum
 defendas, Ipsum praecepisse, vt diabolo, impuro illi spi-
 ritui, atque acerbissimo tum Dei, tum humani generis
 hosti, offeratur hostia quaedam, quo minus populo Israe-
 litico damnum aliquod afferre posset. Num igitur ma-
 nus Domini breuiores factae sunt, vt opem suis ferre, et
 diaboli vim atque audaciam comprimere non possit? Ab-
 sit hoc quam longissime. Quo maioribus autem haec
 sententia premitur incommodis, eo magis miramur,
 quod ex eorum quoque coetu, qui doctrinae salutaris
 luce collustrati sunt, nonnullis haec arrideat opinio;
 quam ideo omnibus viribus defendere atque stabilire co-
 nantur, vti fieri videmus a SPENCERO in *notissimo de*
legibus Ebraeorum ritualibus libro, Lib. III. Cap. 1. Diff.
8. Sect. 2. IO. van der WAYEN in *variis sacris, et OV-*
TREINIO P. IV. comment. in Epistol. ad Ebraeos p. 844.
 contra quos disputantem v. *doctissimum* ANDR. ADAM.
 HOCHSTETTERVM in *commentatione de festo expiatio-*
nis ad Leuit. XVI. quae prodiit Tub. 1707.

Altera virorum doctorum, de vero $\tau\epsilon$ הַתֵּיב signi- Nonnulli mon-
 ficatu sententia, quae mihi a veritate abluere videtur, tem fuisse as-
 ea est, quae per nomen הַתֵּיב , locum quendam, aut mon- serunt.
 tem Arabiae petrosae, quo prima vice abductus hircus
 est, intelligendum putat. Quam sententiam, a Raschio,
 Kimchio, Iunio, Glassio, aliisque bene multis, a Pfeiffero
 in Dub. Vexatis ad h. l. adductis, defensam, nuperrime am-
 plexus est insigne Lipsiensis Academiae atque Ecclesiae
 Decus ac Ornamentum, Vir Summe Venerabilis atque

B

Magni

Magnificus, SALOMO DEYLINGIVS, in *Obs. Sacris P. I. Obs. XVIII.* Verum enim vero, quod tantorum viro-
rum pace dixerim, ego cum Bocharto Hierozoic. *P. I. Cap. 56.* existimauerim, quod Moses, Scriptor Diuinus, qui
alias in describendis locis tantam adhibet diligentiam,
hunc locum non sine iniecta eius mentione praeteriisset,
et aequae, ac Num. XXVII. quum montis Abaris mentio-
nem facit, montis nomen ei addidisset, adeoque non
לעזאזל, sed להר עזאזל, scripisset, si per hoc vo-
cabulum locus quidam, uti viri supra laudati volunt, esset
intelligendus. Ut taceam, quod viri illi, qui has regio-
nes peragrarunt, easque accuratis obseruationibus in edi-
tis itinerariis suis illustrarunt, ne ullam montis aut loci,
hoc nomine insigniti, faciant mentionem.

*Schroederus
fortem execu-
sem interpre-
tatur.*

Quas quum videret difficultates, aliam defenden-
dam sibi proposuit sententiam v. Cl. IO. IOACHIMVS
SCHROEDERVS in *Diff. de Azazelis hircu, eiusque ri-
tibus ac mysteriis.* In ea enim §. 28. existimat, vocabu-
lum עזאזל commode deriuari posse a vocibus ebraicis
עז, fortis, et אזל, abiit, adeoque reddendum esse fortis
exiens. Quae etymologia quum analogiae non repu-
gnet, fateor, eam mihi, prima vice istam legenti, arrisisse.
Ast vero, quum deinde accuratius eam pensitarem, illud
quoque fateor, ה praepositum prohibuisse, quo minus
calculum ei meum adiecerim. Etenim quum ex ipsa Vi-
ri Doctissimi sententia ה datiuum casum h. l. innuat, at-
que adeo hic hircus Azazeli offerendus iubeatur: quum
porro Vir Celeberrimus per hircum hunc Seruatorem
nostrum Optimum Maximumque praefiguratum fuisse af-
firmet: certe non perspicio, quomodo dici possit, quod
hircus

hircus Azazel, qui typus fuit Christi, Christo sit oblatus: exinde enim sequeretur, quod Christus se sibi ipsi obtulerit, id quod nemo facile affirmabit.

Aliam atque ab iis, quas haecenus enumeravi, diversam in evoluendo atque determinando vocabuli לעזאזל significatu ingressus est viam SAM. BOCHARTVS ὁ πρῶτος in incomparabili, de animalibus, quorum mentio fit in S. Codice opere, quod Hierozoicon inscripsit, P. I. Cap. 56. Existimat scilicet Vir longe celeberrimus, vocem hanc commode ex Arabum lingua repeti posse. In ea enim occurrit verbum quoddam أزلا azala, quod idem ac remouere et separare significat. Ab hoc autem verbo nomen לעזאזל descendere putat BOCHARTVS, vt adeo hircorum vnus recte dicatur Domino fuisse seruatus, nempe vt super altare mactatus illi esset in cibum, quod de victimis legitur Leuit. XXI, 6. alter vero dicatur seruatus לעזאזל, πρὸς ἀναχωρήσεις, id est, vt in locum deserti remotum et separatum deducatur, qui v. 22. vocatur ארץ גזרה, terra excisa aut diuisa. Verum enim vero, praeterquam quod vocum radices, vbi domesticae atque genuinae adsunt, ex aliis linguis haud repetendae esse videntur, certe non perspicio, quare Deo visum fuerit, vt ex Arabum lingua arcesseretur vocabulum illud, quo locus, vbi abducendus erat hircus, designaretur, quum aequae commoda ratione in Ebraea lingua, Iudaeis propria atque vernacula, exprimi possit: vt alia taceam incommoda, quibus haec Viri longe eruditissimi sententia premitur, quae videri possunt apud laudatum SCHROEDERVM *Diss. cit. §. 23.*

Bochartus ex lingua Arabica vocab. לעזאזל repetit.

*Auctoris sen-
sentia pro-
ponitur.*

Quod si mihi, in re tam ardua atque difficili, licet meam qualemcunque adicere sententiam, ego quidem existimauerim, ex Ebraeorum lingua commode deduci posse hoc vocabulum, nihilque aliud significare quam capram abeuntem, s. hircum dimissorium. Iis enim, qui litteras ebraicas callent, haud ignotum esse puto, quod עז, capram, et אָזל abiit, significet: ex quibus duabus vocibus, quum forma in punctis vocalibus plane analoga deprehendatur, hoc vocabulum compositum esse puto. Quam sententiam defensam quoque esse video a *Pari Philologorum celeberrimo*, IO. FRISCHMUTHO, in *Diss. I. de hirco emissario*, §. 17. et D. AVG. PFEIFFERO in *dubiis vexatis V. T. Cent. II. Loco IX.* Quibus nuperrime accessit *Cl. DACHSELIVS in Bibl. Hebr. accentuat. ad h. l.* ubi recte monet, particulam ל in לעזאזל non pro nota Datiui, uti in ליהוה esse sumendam, sed stare pro להיות, ut sit scilicet in caprum abeuntem, uti e. g. Genes. XXXVIII, 15. ויחשבה לזונה, stat pro להיות זונה, et 1 Sam. XXV, 30. צרך לנגיד על ישראל להיות נגיד.

*Ritus cum hir-
co peragendi
recensentur.*

Quum igitur verum vocabuli לעזאזל significatum indicauerim, mearum quoque partium esse video, ut ritus, qui cum hirco hoc ἄπομπασιον peragendi erant, breuiter enarrem, eorumque sensum mysticum deinde adiciam. In describendis autem ritibus cum hirco hoc obseruandis, probe distinguendos esse puto eos ritus, quos Deus O. M. praescripsit, quosue mandatos esse legimus Leuit. XVI. ab iis, quos Iudaeorum quidem magistri nobis narrant, de quibus vero altum in Sacris Litteris est silentium. Recensebo igitur primo loco eos, quos

quos in Sacro Codice praescriptos legimus ritus, et deinde illōs quoque narrabo, quos nobis Iudaeorum doctores referunt.

Duo erant ritus, quos Deus cum hirco Azazel *Duo ritus a Deo mandati.* peragendos iniunxerat Iudaeis: impositio scilicet manuum in caput hirci, a Pontifice M. obseruanda, quae cum solenni peccatorum confessione erat coniuncta; et deductio hirci in desertum,

Prior ritus initio v. 21. hīc nobis verbis de- *Impositio manuum.* scribitur: וּסְמַךְ אֶהְרֹן אֶת-שְׁתֵּי יָדָיו עַל רֹאשׁ הַשְּׂעִיר הַחַי וְהַתְּרַדָּה עָלָיו אֶת-כָּל-עֲוֹנֹת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל וְאֶת-כָּל-פְּשָׁעֵיהֶם לְכֹל הַטֹּתָם וְנָתַן אֹתָם עַל רֹאשׁ הַשְּׂעִיר *Et imponet Abaron utramque manum suam hirci viui capiti, et confitebitur super eo omnes iniquitates filiorum Israel, omnesque eorum praeuauaricationes, cum peccatis eorum omnibus, eaque hirci capiti imponet.* Denotat autem manuum impositio eiusmodi actionem, qua hominis peccata veluti in victimam transferuntur atque transmittuntur, quae indicat homo, se velle, vt huic bestiae ea, quam ipse meretur, infligatur poena eum in finem, vt ipse expietur atque insons declaretur. Qua in re consentientem mecum habeo ex ipso Rabbīnorum coetu R. Alschech, qui in libro, cuius index תורת משה difertis inquit verbis: עַל יָדֵי הַסְּמִיכָה הוּא נֹתֵן מִמֶּשׁ אֹתָם עַל רֹאשׁ הַשְּׂעִיר *per χειροθεσιαν ipse (sacerdos summus) peccata hirci capiti imposuit.* Quum autem triplici vocabulo ad peccata, hirci imponenda capiti, denominanda, vtatur scriptor S., omnia, cuiuscunque generis fuerint, peccata, hirci imposita esse, hac re innui mihi viderur.

videtur. Etenim haud ignotum erit illis, qui ebraeam linguam callent, quod, quemadmodum חטאת generatim deflexionem notat quamcunque, et peccatum cum actuale tum originale complectitur, ita פשע denotet מרד, rebellionem, et voluntariam Dei legisque Diuinae reiectionem, עון autem actum prauum, regulae non conuenientem, et non modo legi vetanti, sed et affirmanti repugnantem. v. FRISCHMUTHI *Diff. I. de birro emissario §. II.* Cum hac manuum impositione coniuncta statim erat, vt ante diximus, solennis peccatorum confessio, quam totius populi nomine edere tenebatur Pontifex M. quamque sequentibus verbis prolatam esse asserunt Iudaei in Codice Ioma Cap. VI. §. 2. אָנֹכִי הַשֵּׁם עוֹן פְּשָׁע חַטָּאוֹ עִמָּיךְ בֵּית יִשְׂרָאֵל אָנֹכִי הַשֵּׁם כִּפָּר נָא לַעֲוֹנוֹת וּלְפִשְׁעֵיכֶם שְׁעוֹ לַפְּנוֹךְ עִמָּךְ בֵּית יִשְׂרָאֵל כְּכָתוּב בְּתוֹרַת מֹשֶׁה עֲבֹדךְ לֵאמֹר כִּי בְיוֹם הַזֶּה יִכַּפֵּר עֲלֵיכֶם לְטָהַר אֶתְכֶם מִכָּל חַטֹּאתֵיכֶם *Obsecro Domine, deliquerunt, rebelles fuerunt, et peccarunt coram te populus tuus, domus Israel. Obsecro Domine, remitte nunc delicta, et rebelliones, et peccata, quae deliquerunt, et in quibus rebelles fuerunt coram te populus tuus domus Israel, sicut scriptum est in lege Moysis serui tui (Leuit. XVI. 30) dicendo: quia in die hoc expiabit vos ab omnibus peccatis vestris, mundi eritis coram Domino.* Quibus precibus in hunc modum responderunt populus aequae ac sacerdotes: בְּרוּךְ שֵׁם כְּבוֹד מַלְכוּתוֹ לְעוֹלָם וָעֶד, *laudetur nomen venerabile regni Eius in saecula saeculorum.* Conf. MAIMONID. in *Iom Hakippurim Cap. IV. §. II.* et GVIL. OVTRAMVS *Lib. I. de sacrificiis Cap. XV. §. IX.*

Alter

Alter ritus, quem Deus obseruandum cum hircō *Deductio hirci in desertum describitur.*
 Azazel praeceperat, erat deductio hirci in desertum, quam vltimis v. 21. verbis nobis describit Moses, inquit: *et dimittet per virum opportunum in desertum*: quibus verbis, tam vir, qui abducere hircum debebat, quam locus, vbi ducendus erat hircus describuntur. Vir, cui cura hircum abducendi committebatur, vocatur *איש עתי*, vbi per vocabulum *עתי*, cum *Cl. SONNESCHMIDIO in Diff. de hirci emissarii ductore, habita Ienae 1719.* virum opportunum s. paratum intelligi putamus. Perfungebatur hoc officio primis temporibus laicus e gente Ebraea, teste Mischna in tract. Ioma Cap. VI. §. 3. vbi haec leguntur verba: *הכל כשרין להוליכו omnes (Israelitae), apti fuerunt ad eum, (hircum) educendum.* Posterioribus vero temporibus peculiari senatus ecclesiastici, qui *סנהדרין* vocabatur, decreto fancitum fuisse, vt nemini, nisi sacerdotibus solis, hoc obire munus liceret, ex his eiusdem Mischnae verbis discimus: *הכל כשרים להוליכו אלא שעשו כהנים גדלים ולהו*
הו מניחים את ישראל להוליכו, *Omnes legitimi fuerunt ad hircum abducendum; sed magni sacerdotes (i. e. senatus ecclesiasticus, s. synedrium) fecerunt statutum, nec Israelitis illum deducere permiserunt.* Cum quo loco consentiunt *Maimonides in Hil. Iom Kippur. cap. 3. §. 7. et Aben Esra in comment. ad b. l.* Quae quum ita sint, patet, in aperto versari errore Lundium, deceptum verbis illis, quae leguntur in *Gemara fol. 66. a. fn. lin. vlt. et B. l. i. תר איש להכשיר את הזר* *Tradunt Rabbini*: vocatur generatim, *איש*, i. e. *vir. ad legitimum declarandum EXTRA NEVM* i. e. Israelitam quemlibet: quando in Antiquitatibus Ebraeorum Sacris, quae germanica

manica lingua sunt conscriptae, et quas Viri in his litteris summi, IO. CHRIST. WOLFII cura expolitas propediem exspectamus, *P. V. Cap. 20. §. 7. et Cap. 23. §. 4.* haud raro Israelitas, sed quamplurimum extraneos ad hoc officium adhibitos fuisse, affirmat. Quem adeo virum ex instituto refellit, atque contra eum solide probat, quod licet vocabulum זר vt plurimum extraneum denotet, hoc in loco tamen non de extraneo, sed de Israelita laico accipiendum sit, *Doctiss. SONNESCHMIDIVS Diss. supra citatae §. VI.* Quamprimum ductori hircus a Sacerdote summo erat traditus, ad eum abducendum sese accingebat. Si autem forte fortuito morbo quodam, aut alia corporis haud prospera valetudine impediabatur, quo minus officio sibi demandato perfungi posset, alius ipsi surrogabatur teste MAIMONIDE in *Hilc. Iom. Kippur. Cap. V. §. 20.* vbi haec exstant verba: חלה משלח הרי זה משלחו: ביר אחר, *Ecce morbo correptus est ductor: mittant eum (hircum) alterius ope.* In deducendo hircus quando occupatus erat ductor, varia ei accidebant commoda incommodaque. A Babyloniis enim male habebatur, adeo vt hircum per eminentem quandam viam hunc in finem praeparatam, quam aggerem vel ponticulum appellare mauult Cl. SONNESCHMIDIVS *Diss. cit. §. XIV.* e templo per urbem Hierosolymam ducere cogeretur, ne assequi eum possent, vti discimus ex his Mischnae citatae verbis: וכבש עשו לו מפני הכבליים שהיו מתלשיים לו טור וצא טור וצא, *semitam eminentem fecerunt eius, (ductoris) causa propter Babylonios, qui crines eius vellicabant, eique dicebant: tolle et abi, tolle et abi.* Hunc e contrario ductorem a Babyloniis ludibrio habitum variisque iniuriis affectum humanissime

me excipiebant nobiliores Hierosolymae vrbis incolae,
 eumque dignum iudicabant, quem comitarentur; id quod
 nobis refert MISCHNA *cit. cap. VI. §. 4.* מיקורי
 ירושלים היו מלוין אותו עד סכה הראשונה
 עשר סכות מירושלם ועד צוק *Quidam ex nobilio-*
ribus Hierosolymitanis comitati sunt eum usque ad taber-
naculum primum: decem autem tabernacula ab vrbe Hie-
rosolyma usque ad montem fuerunt. Qua vero ratione ii,
 qui in tabernaculis commorabantur, ductorem excepe-
 rint, eadem nos docet MISCHNA *l. c. cap. 5.* hisce ver-
 bis: על סוכה וסוכה אומרים לו הרי מזון והרי
 מי *apud quodlibet tentorium dicunt ipsi, ecce cibum,*
ecce aquam. Ast vero obseruant Iudaeorum doctores,
 eum, ieiunio licet atque itinere viribus fractum et ener-
 uatum, singulari tamen summi Numinis prouida cura ita
 firmatum fuisse, vt cibo potuque ipsi oblato nunquam in-
 diguerit. Vid. MAIMONID. *in Hilc. Iom. Kippur Cap. 3.*
 §. 7.

Quod ad locum, quo abducendus erat hircus, atti- *Locus indi-*
 net, ille v. 21. vocatur מרבר, v. 22. autem גזרה *catur.*
 Quodsi quaeret aliquis, quisnam proprie locus per haec
 vocabula innuatur, ei quidem respondet Auctor מכלל
 יופי qui est R. Selomoh ben Melech, per eum intelli-
 gendum esse locum, שנקרת מן הישוב ומן הצמחים
 qui neque habitatur, neque herbas gramenque producit;
 ast vero, quum vocabulum מרבר haud raro, cum in
 Sacris Litteris, tum ab interprete Chaldaeo et Docto-
 ribus Talmudicis pro loco pascuis destinato vsurpetur, (v.
 STOCKII *clauem L. S. V. T. p. 214.* et BVXTORFII
Lexic. Talmud. voce מרבר pag. 499.) ego potius cum
 C Cel.

Cel. SCHROEDERO existimauerim, per vocabulum מִרְבֵּר intelligendum esse locum pascuum, s. agrum, sepimento quodam aut fluuio a reliqua terra separatum, id quod vocabulum גִּדְרָה innuere mihi videtur. Quod autem in Palaestinae desertis, s. locis, longius ab vrbibus aut vicis remotis, eximia fuerint pascua, exemplis filiorum Iacobi, Gen. XXXVII, 22. Dauidis, 1. Sam. XVII. 28. et Nabalis 1. Sam. XXV, 2. probat SCHROEDERVS in *Diff. saepius laudata*. Graecorum quoque vocabulum ἐρημος eadem haud raro gaudere notione, vt locum, pascuis ornatum innuat, exemplum hominis illius, cuius meminit D. Lucas XV, 4. satis superque testatur. Ille enim, amissam dum quaerit ouem, nonaginta nouem relinquit ἐν τῷ ἐρημῷ, in deserto. Ad quem locum summus nostri temporis Theologus ac Philologus, IO. CHRISTOPHOR. WOLFIVS, Patronus noster demissa animi pietate ad cineres vsque colendus, in *Curis Philologicis et Criticis* obseruat, quod per hoc vocabulum non desertum proprie dictum, sed locus ab agricolis quidem non cultus, interim pecorum pastionibus relictus, quem Graeci μολοβοτα, i. e. *Wende auf dem Felde* vocant, sit intelligendus. Quae notio, cur vocabulo מִרְבֵּר in hoc Mosis loco non tribuatur, nullam video obstare nobis causam.

Hirci praecipitatio narratur.

Et hi quidem ritus illi sunt, quos cum hirco Azazel peragendos citato Leuitici capite praeceperat Deus O. M. Hos excipiant alii duo ritus, quos soli Iudaeorum Doctores nobis tradunt. Primo referunt nobis, hircum posteaquam in desertum esset abductus, e rupe quadam, quam צֶרֶק appellant, fuisse praecipitatum, vitaque adeo pri-

privatum. Cuius rei testes affero MISCHNAM saepius citatam, in qua Cap. 6. §. 6. ritus ille ita enarratur: רחפו לאחרייו והוא מתגלגל ויורד ולא היה מגיע לחצי *praecipitavit eum* (hircum) *retrosum, qui circumvolutus decidit. Nunquam vero medium montis attigit, antequam in frustra esset collisus: et R. MAIMONIDEM, in comment. ad hunc MISCHNAE locum, inquit: היה מירושלים עד המקום ששמו צוק שנים עשר מיל והם inter Hierosolymam et locum illum, qui dictus est ZVK duodecim erant milliaria, quae efficiunt XC stadia. Conf. Cl. SONNESCHMIDIVS in Diss. cit. §. 19. et 20. qui plura Iudaeorum loca de hoc ritu adduxit, calculumque opinioni huic suam adiecit. Verum enim vero quam non negauerim, posterioribus temporibus, quum opinio illa peruersa, quod per hircum Azazel diabolus indicetur, cui in sacrificium cedat hircus ἀποκταίος, hanc praecipitationem fortasse a Iudaeis fuisse peractam, ideo, ne forte fortuito rediret hircus, malaque ipsis afferret, tamen vix mihi persuaderi patiar, vt credam, prioribus quoque temporibus hunc ritum fuisse obseruatum, quum Sacer Codex, qui ceteros cum hirco peragendos ritus nobis refert, ne minimam huius ritus faciat mentionem.*

Alium priori ritum addunt Iudaei, quem si fabulam aliquis vocaret, ex petulanti Iudaeorum ingenio prognatam, me sibi non haberet refragantem. Narrant scilicet nobis, ductorem hunc, quum in desertum venisset, antequam praecipitaret hircum, lanceam quandam particulam, coccineo colore tinctam, et in linguae formam

Fabula de lingua coccinea exploditur.

mam aptatam, hirci capiti a summo sacerdote alligatam, diuifisse, dimidiamque eius partem ad rupem, alteram vero inter hirci cornua ligauisse. En MISCHNAE de hoc ritu testimonium, l. c. מה היה עושה חולק לשון, l. c. של זהורית חצו בסלע וחצו קשר בו שתי קרניו Quidnam fecit (hirco in desertum deducto) R. lanam coccineam diuifit; dimidiam eius partem ad rupem; alteram vero inter cornua ipsius ligauit. Quod si quaerat aliquis, cur linguam diuiferit hirci ductor, ei respondet Gemara Ioma fol. 67. A. ונקטריה כולהו בסלע ומצורה בשעיר דילמא קדים ומלבין ומיתבא! דעתיה Obiic. alliget totam linguam ad petram? Resp. quia praeceptum de hirco, (eum retrorsus detrudere iubet) fortassis lana prius alba fieret, adeoque mens ductoris contenta esset. Sed nondum fabularum finis est: addunt Iudaei, hanc linguam coccineam, hirco in desertum educto, rubrum mutasse colorem, albamque esse redditam. Ita enim in MISCHNA cit. Cap. 6. referunt: כשהגיע שעיר למרכב היה הלשון מלבין שנאמר Quum hircus ille in desertum esset abductus, lingua alba facta est, quia dictum est, (Ies. I, 18.) Si fuerint peccata uestra ut coccinum, instar niuis albescent. Et Auctor libri, cuius index, קושרין אותו בראש קושרין אותו בראש fol. 105. narrat: שעיר המשתלח והיה מלבין מאליו והוא סימן Alligabant illam (linguam) hirco emissario, quae sua sponte albescebat, id quod erat signum Israeli a Deo datum. Idem auctor fol. eod. col. 3. addit, eam XL ante templi excidium annis non amplius albuisset. En eius verba: תנו רבנן מ' שנה קודם חרבן בית לא היה לשון של זהורית מלבין Tradidere

re

re Doctores nostri, quod quadraginta ante excidium templi annis non amplius albuerit lingua coccinea. Ast vero, quod si aliquis narrationem Iudaeorum de hac lingua recte ponderauerit, illi fidem haud habiturum esse puto. Etenim ne minima huius ritus in Sacro Codice iniicitur mentio, quem tamen ritum, si ab ipso Deo Iudaeis praescriptus fuisset atque mandatus, scriptor facer, mea quidem opinione, non prorsus sicco, vt aiunt, pede praeteriisset: quid quod Iosephus, diligentissimus rituum, a Iudaeis quondam obseruatorum, scrutator ne *yeu* quidem de hoc ritu commemoret. Et, quod ad locum Ies. I, 18. a Iudaeis, ad fidem huic fabulae conciliandam, adductum, attinet, ego certe existimo, neminem, nisi qui animum atque ingenium Rabbinicum induit, in eo loco coccineam linguam aut quaerere aut inuenire posse. Quibus quoque argumentis adducti, maximi nominis Philologi atque Theologi, non dubitarunt, fabulis atque commentis Iudaeorum, ea, quae de hac lingua narrantur, adscribere. Vid. FRISCHMUTHVS in *Diss. I. de hirco emissario*, Cap. I. §. 5. S. V. DEYLINGIVS in *Obsf. Sacris P. I. obsf. 18. §. 20.* et HOCHSTETTERVS in *Commentat. de festo expiationis pag. 72. sq*


Haec adeo, quae huc vsque differuimus, de ritibus cum hirco Azazel Diuino mandato peragendis, et de fabulis a Iudaeis excogitatis, monuisse sufficiant: iam, vt promissis fidem praestem, mearum partium esse video, vt hirci huius antitypum euoluam, et quid per hircum hunc atque per ritus, cum eo peragendos praesignificare voluerit Numen sapientissimum, inquiram. Constat autem


autem, tres inprimis Virorum doctorum de hirci huius antitypo esse sententias. Quidam existimant, hircum illum praefigurasse populum Iudaicum, ob malitiam suam et ob reiectum generis humani seruatorem e terra Canaan eiciendum, atque in exilium, in quo hodiernum viuit, relegandum. Aliis persuasum est, hircum hunc Seruatoris O. M. delineasse Discipulos, et reliquos primae Ecclesiae fideles, ab improbo Iudaeorum coetu et gentilium haud paucis reiectos atque contemtos. Quae vero sententiae, quos data opera sub examen vocauit Cl. HENR. CVRTIUS, in exercitatione, *de hirci emissarii, qui sorte cecidit לעזאזל mysterio*, quae exstat in Museo Bremensi, Vol. II. P. IV. p. 688. quum haud exiguis premantur difficultatibus, alii verissime iudicarunt, hircum ἀπομακρῶν Optimum Dulcissimumque praefigurasse Seruatorem, eiusque inprimis ad mortis supplicium educationem. Cuius sententiae veritas vt eo clarius pateat, liceat paucis monstrare, quam pulchre ritus cum Azazel hirco obseruandi in optimum quadrent Sospitorem. Iusserat Deus O. M. vt duo coram ipso sisterentur hirci, forteque exploraretur, quis hircus cederet לירח, quisnam vero לעזאזל: vnde patet, non licuisse Pontifici, quem vellet, dimittere hircum, sed ipsi incubuisse, vt eum, quem fors tetigerat, in desertum abire iuberet hircum; Certe ea, quae cum Seruatore nostro gesta fuere, non forte fortuito ipsi euenerunt, sed τη ὀρίσμενη βεβλη και προγνωσει τε Θεσ, Act. II, 23. Manus hirci capiti imponere, omnesque populi Iudaici iniquitates omniaque eorum delicta super eo confiteri tenebatur Pontifex Maximus: Christo Redemptori nostro maximo Deus Pater הפניע imposedit, et appro-


appropinquare fecit peccata nostra omnia, Ies. LIII, 6. adeoque eum, qui peccati erat ignarus, pro nobis fontem reddidit, vt in eo nos fieremus iustitia Dei 2 Cor. V, 21. Vir, qui hircum abducebat, primo laicus, postea autem quidam e sacerdotum numero fuisse perhibetur: Iesum Seruatorem nostrum non laici tantum sed et sacerdotes, quum ad mortis supplicium traheretur, educebant. Locus, quo abducendus erat hircus, extra urbem erat situs: Iesus, quum mortis subiret supplicium, eductus quoque extra urbem est. Hircum, in desertum ducendum, magno prosequabantur comitatu nobiliores Hierosolymorum incolae: Iesum, quum ad supplicium traheretur, ingens sequebatur hominum multitudo, turbaque mulierum, quae plangebant, Iesumque lamentabantur, teste D. Luca XXIII, 27. Quemadmodum autem hircum eiusque ductorem nobiliores urbis Hierosolymae incolae humanissime excipiebant; ita e contrario contumelia atque iniuriis a Babylois afficiebatur: Christo, ab infima licet plebe, quum in cruce penderet, deludificato atque irriso, Matth. XXVII, 39. 40. duo tamen nobilissimi, e gente ebraea viri, maximum post mortem quoque exhibebant honoris amorisque documentum, Io. XIX, 38-42. Hircum qui ad vltimam vsque comitati erant stationem, procul stabant, vt, quid cum eo ageretur, viderent: Iesus quum ad supplicii locum peruenisset, procul stabant amici eius, vt, quid cum eo fieret, adspicerent. Matth. XXVII, 55. 56. Lucae XXIII, 48. 49. Quamprimum hircus in desertum venisset, Hierosolymis illud summa cura indicabatur, quo peccata sua expiata ablataque esse scirent Iudaei: Iesus quum mortuus esset, Hierosolymis statim eius mors innotescebat;

bat ; quid quod non Hierosolymas tantum, sed totum terrarum orbem fama de eius morte, deque per eum facta peccatorum, nostraque adeo cum Deo reconciliatione percrebuerit. Rom. X, 18. Sacerdos summus, hirco in desertum dimisso, varias recitabat benedictionum formulas, quibus, Templo, Sancto, Sacerdotibusque fausta quaeuis atque fortunata apprecabatur ; nos, quum Deo per Christum simus reconciliati, maxima quoque benedictionum atque donorum spiritualium copia a Deo sumus fortunati Eph. I, 3. Quapropter, fide iustificati, pacem habemus cum Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, Rom. V, 1. adeoque confidenter accedere possumus ad gratiae folium, ut misericordiam adipiscamur, et gratiam ad opportunum tempus inueniamus. Ebr. IV, 16.









the scale towards document

dem per radices intelligitur, sc. *truncus ille, frondibus nihil habens*, nisi radices, sub terra unicum succifum & sensim arefcentem, ac intelligitur familia regia Davidis, uti dictum, at excellentissima *Davidis filia*, Virgo *νεχαριτω-νη εν γυναιξω* Luc. I. 28. unde hic Nezer imme-

Ut sensus verborum fit; *Ubi jam stemma bus initiis in Davide ad decus Regiæ majestatis tem axiometate regio & omni externo splendore, accepit, erit orbatum, sed etiam ad privatam qua erat ante Davidem regem, denuo redactum, ni ramorum ac frondium apparatu denuati & habeat, nec quicquam superfit, præter radices, en ex illo trunco adeo acciso, & uti videbatur, ocedat virga regia & ex illis radicibus efflorescet quem requiescet Spiritus Domini, Spiritus sapientissime Poetarum Christianorum prin- in hymno de Epiphania, jam flos subit Da- esse editus, sceptrique per virgam virens rerum*. Obscurus erat *Isai*, Davidis pater, & quasi i turba, unde Davidem contemptim appelli, i. Sam. XX. 27. & i. Reg. XII. 16. *Isai* itaque onem divinus vates, ut significet, Christum n, quando regia illa familia propemodum pristinam ignobilitatem relapsa esset.

ilem ortum & nativitatem infernatem Mes- ioque plerique Christiani Interpretes tam recentiores (quanquam aliqui non tam ad infantiam Christi, quam ad totum humilita- nere arbitrentur, verba *Esaia* LIII. 2. *Et de- gultum coram eo, & sicut radix de terra sitiente.* Et, quin idem hic sensus sit, qui est loci jam id enim hic dicitur *ינק*, id c. XI. i. dicitur *נצר*,
D 2 quod

5.
52/4
5